

pressius postea articulo x ad tertium, quod non est actus virtutis theologicæ, quia importat subjectionem sui in ordine ad Deum. Unde cum respiciat pro materia directa aliquid creatum, scilicet subjectionem sui, et solum in obliquo respiciat Deum, manebat ostensum, quod ex hac parte non erat virtus theologica, quia indirecte, et in obliquo respicit Deum. Quare restabat ostendere, quod ex parte actus secundarii, qui est fuga mali non sit virtus theologica, cum tamen etiam sub ista formalitate sit donum Spiritus sancti; et hoc ostendit ex eo, quod principale objectum ejus sub ista formalitate, et denominatione est malum, quod quis refugit, et per hunc modum Deus non est objectum timoris, quia non fugit ipsum Deum tamquam malum; et consequenter prout sic non est virtus theologica.

XXIII. Restabat agere de prophetia, quomodo scilicet Christus fuerit vere, et proprie propheta; sed quia hoc supponit cognitionem Christi respectu futurorum contingentium, et aliarum rerum supernaturalium, commodius disputabitur circa quæstionem undecimam agendo de scientia Christi infusa.

DISPUTATIO IX.

DE PERFECTIOE GRATIÆ CHRISTI.

ARTICULUS I.

Utrum gratia Christi habitualis poterit augeri de potentia absoluta?

I. Ab hac difficultate inchoamus disputationem, quia ex ejus resolu-

tione omnes aliæ difficultates circa infinitatem, et plenitudinem gratiæ Christi determinari possunt. Est autem notandum, quod in gratia sicut in quacumque alia forma possumus quatuor modis infinitatem distinguere, quasi per quatuor prædicamenta. Prima infinitas est in ratione entitatis, et quasi in substantia, seu quidditate rei: secunda infinitas est in ratione quantitatis, id est, in extensione ad varios effectus gratiæ, secundum diversas virtutes, et dona: tertia infinitas qualitate, scilicet penes intensionem, et gradus: quarta est secundum relationem, seu respectum, quæ est infinitas in dignitate, et morali æstimatione, secundum quod gratia respicit suppositum, et ab eo dignificatur.

II. Supponimus gratiam Christi entitative, et secundum substantiam suam non esse infinitam, utpote ens creatum, et ad determinatum genus, et speciem spectans; nec etiam est augmentabilis ex hac parte, quia essentiæ rerum secundum specificam constitutionem habent se sicut numeri, qui non possunt variari, nec crescere, aut minui.

III. Secundo, admittimus gratiam Christi esse infinitam secundum moralem æstimationem, et respectum ad suppositum, et hanc moralem æstimationem quidam appellant gratiam in esse gratiæ; et in illa crescere non potest, quia non potest ordinari ad aliquid majus, et excellentius, quam ad Personam divinam, ratione cujus dicit S. Thomas hic articulo xii ad secundum, quod non potest crescere gratia Christi in esse gratiæ.

IV. Denique admittimus, quod non potest crescere gratia Christi in extensione, eo quod habet in Christo rationem universalis principii ad omnes effectus gratiæ, qui licet non sint infiniti simpliciter in omni ge-

nere, sunt tamen omnes effectus possibles intra genus gratiæ, quia universale principium in tali genere omnes illos effectus includit, sicut sol, et cælum omnes effectus hujus mundi corruptibilis, et generabilis. Et hac ratione dixit S. Thomas articulo nono hujus quæstionis in fine corporis, esse plenitudinem gratiæ in Christo, quia se extendit ejus gratia ad omnes effectus gratiæ, qui sunt virtutes et dona, et alia hujusmodi.

V. Restabat ergo difficultas de infinitate intensive, in qua etiam supponimus secundum probabilior sententiam S. Thomæ i part. quæst. vii, articulo iv, negantis posse dari etiam de potentia absoluta infinitum categorematice, gratiam Christi non esse infinitam categorematice, ita quod ratione hujus non possit augeri. Sed difficultas est, an gratia Christi habeat terminum intrinsicum, ita quod ultra, nec de potentia absoluta possit augeri; an vero careat tali termino, possitque augeri in infinitum syncategorematicè de potentia absoluta, licet ex aliquo accidentali statu, ut quia est in termino beatitudinis, vel quia est conjuncta Personæ divinæ, connaturaliter non possit augeri.

VI. Duplex est sententia, tam in schola S. Thomæ, quam extra. Quidam enim tenent partem negativam, scilicet, quod de potentia absoluta non possit augeri in intentione gratiæ Christi. Ita Cajetanus hic, præsertim art. xi et xii, quem sequitur Nazarius art. xxxii, controversia unica. Tribuitur etiam Scoto in iii, distinct. xiii, Durando, et Paludano ibidem quæstione prima, et aliquibus recentioribus placet.

VII. Fundamentum sumitur, tum ex auctoritate S. Thomæ, tum ex ratione. Nam in primis in hoc articulo xii, dicit: « Quod ex parte formæ excluditur possibilitas aug-

menti in gratia Christi, quia sicut aliarum formarum est determinata mensura, et propria ex divina sapientia, ita et gratiæ. Mensura autem cujuslibet formæ est per ordinem ad suum finem. Finis autem gratiæ est unio rationalis creaturæ ad Deum. Non potest autem esse, neque intelligi major unio, quam quæ est in Persona, et ideo gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiæ. Sic igitur manifestum est, quod gratia Christi non potest augeri ex parte ipsius gratiæ. » Hæc D. Thomas, ubi sanctus doctor loquitur etiam de potentia absoluta; tum, quia negat possibilitatem augmenti simpliciter, et sine addito; tum, quia mensura, quæ præfigitur cuicumque formæ ex ordine ad finem, est essentialis, et intrinseca, quia ordo, et dependentia a fine essentialis est formæ; ergo intelligit augmentum esse impossibile secundum essentiam gratiæ, quod est absolute esse impossibile; nam si cresceret illa gratia, faceret creaturam magis unitam Deo secundum illum majorem gradum; tum denique, quia dicit, quod major unio nequit esse, neque intelligi potest; quod autem dari potest de potentia absoluta, intelligi potest.

VIII. Secundo, adducit Nazarius loca S. Thomæ ex tertio sententiarum, dist. xiii, quæst. i, art. ii, quæstiunc. iii, ubi inquit: « Quod secundum quod res est in termino, tota capacitas potentialitatis ejus impleta est ex fine implente, et ideo non habet ulterius quo crescat. Et quia anima Christi ab initio fini ultimo unita fuit, non solum per fruitionem, sed etiam communicando in Persona Verbi, ideo gratia ejus crescere non potuit. » Et solutione ad secundum ponens argumentum: Quod quanto magis additur intellectuali naturæ de perfectione, et

gratia, tanto magis augetur ejus capacitas; ergo semper posita perfectiori gratia remanet possibilitas ad augmentum, respondet: « Quod hoc intelligendum est de capacitate intellectualis naturæ circa finem, ultra quem nulla capacitas alicujus rei extenditur: » ubi S. Thomas loquitur de capacitate obedientiali animæ Christi, quia est capacitas ad gratiam, ad quam non datur capacitas naturalis; ergo si negat capacitatem obedientialem in Christo ad augmentum gratiæ, negat possibilitatem augmenti etiam de potentia absoluta.

IX. Magis urget locus S. Thomæ ex tertio ad Annibaldum, dist. XIII, quæstione unica, art. IV, ubi docet non posse augeri gratiam Christi: « Quia est maxime unita Deo, et tota ejus capacitas impleta: » et subdit: « Et ideo gratia Christi augeri non potuit, quia tanta fuit ejus capacitas, ultra quam augmentum esse non potuit, remanente natura humana, seu natura creata, et Deus non potest facere aliquam capacitatem increatam, » ubi clarissime loquitur S. Thomas de potentia absoluta, quia dicit: « Quod remanente natura creata non potuit augeri ejus gratia, quia non potest fieri capacitas increata. » Hæc autem nec de potentia absoluta dari potest: et hæc sunt loca magis urgentia in ordine ad potentiam absolutam. Quod enim dicit hic art. IX et X: « Quod Christus Dominus habuit gratiam in summo secundum perfectissimum modum, quo haberi potest; et quod habet gratiam in maxima excellentia, quæ haberi potest, » indicat quidem loqui de potentia absoluta; sed non ita urgent, quod non possint explicari de eo quod potest secundum connaturalem modum, et exigentiam personæ, non de potentia absoluta.

X. Ratione etiam probatur hæc sententia, nam in primis gratia Christi habet omnem perfectionem quæ pertinere potest ad speciem gratiæ; ergo nullo modo potest augeri intensive; et cum non sint plures species gratiæ (ut suppono tamquam probabilius, quia omnis gratia est participatio naturæ divinæ in sua specie) ideo in esse gratiæ non poterit augeri simpliciter. Antecedens est S. Thomæ hic art. XI, ubi dicitur: « Gratia infinita intra suum genus, quia habet quidquid potest pertinere ad speciem gratiæ. » Consequentia patet, quia si potest augeri per divinam potentiam, utique illud augmentum pertinebit ad speciem gratiæ, cum non extrahat illam extra latitudinem suæ speciei; ergo non habebat antea quidquid pertinebat ad rationem gratiæ: deerat enim illi talis perfectio, et augmentum.

XI. Secundo, illa perfectio, seu augmentum debet convenire ipsi gratiæ per ordinem et aliquem finem, ratione cujus determinatur quælibet perfectio, sive augmentum formæ; alioquin egrederetur fines, et terminos talis formæ, sed finis intrinsecus, et essentialis gratiæ est unio ad Deum; ergo cum non possit dari, nec intelligi major perfectio, et unio ad Deum, quam unio personalis, consequenter non potest intelligi majus augmentum, quia non potest fieri in ordine ad alium finem intra speciem gratiæ.

XII. Quod si dicas, non fuisse Christo datam gratiam proportionatam unioni hypostaticæ, in primis jam hoc est deserere rationem S. Thomæ, quæ oppositum docet; et præterea, quia si posset Deus dare gratiam proportionatam unioni hypostaticæ, cur illam denegavit, et privavit gratia sibi proportionata, cum posset illam dare, aut

saltem si daret illam, talis gratia non posset crescere.

XIII. Tertio, quia possibilis est summa gratia in intensione, sicut et formarum naturalium, quæ determinatam intensionem habent per ordinem ad sua principia, sicut calor in igne, et lux in sole; ergo etiam gratia Christi, quia est in subjecto proprio, et connaturali, scilicet conjuncto Personæ divinæ, non poterit augeri. Unde S. Thomas hic articulo secundo æquiparat mensuram gratiæ taxatam a divina sapientia, mensuræ aliarum formarum.

XIV. Denique capacitas obedientialis in Christo fuit totaliter completa per gratiam; ergo non potest amplius augeri in anima Christi. Consequentia patet, quia illud augmentum, si poneretur, anima esset in potentia ad illud, non in potentia naturali; ergo obedientiali. Antecedens est S. Thomæ, tum hic articulo nono ad tertium, tum locis citatis ex tertio sententiarum; et ratione probatur, quia illa capacitas obedientialis est finita, cum oriatur, et conveniat naturæ finitæ; ergo potest per limitatam formam impleri: maxime autem conveniens fuit, quod impleretur per gratiam Christi, quæ est summa in genere gratiæ. Hæc sententia redditur probabilis, et defendi potest, si teneatur sententia eorum, qui putant in formis, et qualitatibus naturalibus dari summum, et maximum gradum intensionis, quod etiam sequitur Lorca hic disputatione quadragesima tertia.

XV. Cæterum opposita sententia est probabilior, et sine dubio magis ad mentem S. Thomæ. Tenet eam Capreolus in III, distinct. XIII, quæst. II, art. I, conclus. II; Medina hic art. XII; Asturicensis relectione de gratia Christi, pagina 236; Alvarez disp. XXXVI; Suarez disp. XXII, sect. II;

Vazquez disp. XLVII, cap. III. Deducitur ex S. Thomæ infra quæstione X, artic. IV ad tertium, ubi loquens de visione beatifica animæ Christi, an potuisset crescere de potentia absoluta, sic ait: « Ad tertium dicendum, quod sicut supra dictum est de gratia, quod non potest esse major gratia, quam gratia Christi per respectum ad unionem Verbi; idem etiam dicendum est de perfectione divina visionis, licet absolute considerando possit esse aliquis gradus sublimior secundum infinitatem divinæ potentiæ. » Ita S. Thomas, ubi apertissime loquitur de potentia absoluta, et citat seipsum, atque explicat in eo, quod in hoc loco dixerat de gratia Christi, quæ utique potest crescere, sicut et visio beata de potentia absoluta.

XVI. Nec potest intelligi quod crescere potest transeundo ad aliam speciem gratiæ; tum, quia S. Thomas loquitur de gradu sublimiori, non de specie diversa visionis beatificæ; tum, quia hoc non esset crescere gratiam, et visionem beatam, si fieret gratia, et visio alterius speciei; tum, quia certius est non posse dari gratiam, et visionem alterius speciei, quia tota perfectio, quæ potest imaginari in visione alterius speciei est per majorem penetrationem divinæ essentiæ, et hæc per solum augmentum majus intensivum haberi potest, et semper restat illud magnum inconveniens, quod si esset possibilis perfectior species gratiæ, quam gratiæ Christi, non posset Christus modo per gratiam, quam habet operari, vel mereri omnes effectus gratiæ, quod communiter negant theologi. Quare hæc sententia sine dubio est S. Thomæ.

XVII. Nihilominus conati sunt aliqui ad hunc locum respondere, licet alii silentio præterierint, et primo, Lorca ubi supra omnino

concessit visionem beatam Christi non posse crescere de potentia absoluta, et idem est de gratia, postquam quis accepit a Deo ultimum gradum gratiæ. Quod quidem est expresse contra S. Thomam dicentem: « Posse dari secundum infinitatem divinæ potentiæ sublimiorem gradum visionis beatificæ, quam fuerit in Christo. »

XVIII. Nec potest explicari, quod crescit visio beata, non ratione luminis majoris gloriæ, sed ratione virtutis naturalis, quia visio beatifica tantum regulatur, et mensuratur adæquate penes virtutem elevantem, quæ est lumen gloriæ. Neque potest dari gradus sublimior visionis beatificæ secundum speciem diversam; habet enim hæc responsio inconvenientia supra allata. Nec potest tamen dari gratia, vel lumen gloriæ diversæ speciei, ut dicitur in materia de visione.

XIX. Posset tamen explicari S. Thomas, quod concepit posse dari sublimiorem gradum visionis, quantum est ex parte divinæ potentiæ, non tamen absolute, quia repugnat ex parte subjecti. Sed contra est, quia S. Thomas absolute probat posse dari sublimiorem gradum visionis; ergo valde diminute processisset probando ejus possibilitatem ex parte divinæ potentiæ tantum, et non in re, et absolute, quod ad nihil deserviebat intento S. Thomæ.

XX. Probatur etiam ex S. Thoma hic articulo XII ad secundum, ubi proponens argumentum: « Augmentum gratiæ fit per divinam virtutem, virtus autem divina nullo termino coarctatur; ergo gratia Christi potuit esse major, » respondet: « Ad secundum dicendum, quod virtus divina licet possit facere aliquid majus, aut melius, quam sit gratia habitualis Christi, non ta-

men posset facere, quod ordinaretur ad aliquid majus, quam sit unio personalis ad Filium unigenitum a Patre, cui unioni sufficienter correspondet mensura gratiæ secundum definitionem divinæ sapientiæ: » in qua auctoritate pondero tria.

XXI. Primum, quod dicit S. Thomas, quod potest facere aliquid majus, quam sit gratia habitualis animæ Christi. Majoritas autem unius ad alterum est intra eandem speciem; sed hæc majoritas non potest esse in extensione, quia jam admisimus, quod hæc gratia Christi ad omnes effectus gratiæ possibles se extendit; ergo debet esse in intensione.

XXII. Si dicas: Quod sicut in ly majus designatur major perfectio intra eandem speciem, ita in ly melius designatur perfectio in diversa specie: sed nos diximus, quod non est dabilis forma supernaturalis perfectior gratia, vel lumine gloriæ; ergo si ex ly melius non colligimus diversitatem specificam, neque ex ly majus majorem perfectionem numeralem, respondetur, quod ly melius etiam potest verificari intra eandem speciem, quia gratia major suo modo etiam est melior: vel potest dici, quod quamvis ly melius denotet perfectionem in diversa specie, non est coarctandum ad qualitatem, seu formam, quia substantia, vel gratia unionis, potest esse melior, quam gratia habitualis, et sic potest Deus facere quid melius in diversa specie, et quid majus intra eandem speciem, quam gratia Christi; sicut et substantia Angeli saltem secundum quid est quid melius, quam gratia.

XXIII. Secundum quod pondero est, quod dicit S. Thomas non posse facere, quod ordinetur ad aliquid majus, ubi solum admittit non pos-

se crescere gratiam secundum unionem ad Verbum, vel infinitatem extrinsecam, non vero secundum infinitatem intensivam.

XXIV. Tertio, dicit illi unioni sufficienter correspondere talem mensuram gratiæ secundum definitionem divinæ sapientiæ; ubi clare significat illam gratiam habere pro fine unionem Verbi, non absolute, sed ut subest definitioni sapientiæ divinæ, quæ talem mensuram illi taxavit. Unde relinquitur, quod secundum aliam definitionem sapientiæ divinæ non repugnat diversam mensuram, et augmentum in illa gratia dari.

XXV. Ratione probatur, quia gratia Christi potest crescere, et ex parte ipsius formæ, et ex parte subjecti in quo est; ergo etiam non repugnat ejus augmentum absolute, et in re. Antecedens quoad primam partem probatur, quia gratia est participatio formalis divinæ naturæ. Pro ejus explicatione nota, quod est duplex finis respectu gratiæ, alius extrinsecus, alius intrinsecus. Intrinsecus est unio ipsa accidentaliter, et participativa ipsius Dei; et hæc pertinet ad essentiam gratiæ, unde sumitur latitudo intensiva: alius est finis extrinsecus, sicut status visionis beatificæ, ubi non potest crescere gratia, non quidem ex intrinseca ratione ipsius, sed ratione status extrinseci; est etiam unio personalis ad Deum, quæ etiam est extrinseca gratiæ, quia potest ista unio fieri sine aliqua gratia habituali, aut etiam cum minori gradu gratiæ, quam sit in Christo. Sicut si infantem baptizatum assumeret cum illo parvo gradu gratiæ nihil amplius infundendo, et sic non est existimanda summa gratia, ex eo præcise, quod sit conjuncta unione ad Personam divinam.

XXVI. Sed quia gratia non est

forma debita alicui subjecto, non potest sumi terminus illius intensivus per ordinem ad subjectum proprium, et connaturale, sicut in formis naturalibus, quæ habent propria, et connaturalia subjecta; sed sumitur ex mensura divinæ sapientiæ, quæ partitur unicuique sicuti vult, nec aliam mensuram assignat Apostolus, quam istam, prout vult. Ex ipso autem fine intrinseco, quem habet gratia, scilicet, unire nos Deo secundum participationem accidentalem illius, potest gratia crescere in infinitum syncategorematicè, quia ut arguit S. Thomas, 1-2, quæst. xxiv, art. vii, charitas est participatio infinitæ charitatis, quæ est Spiritus sancti; ergo data quacumque creata participatione finita inter illam, et charitatem infinitam participabilem, est infinita distantia, et consequenter infiniti modi participationis; ergo semper potest magis, et magis crescere in ista participatione; ergo et in augmento.

XXVII. Nec valet dicere, quod quia gratia habet intrinsecam limitationem generis, et differentiæ, habet etiam limitatum gradum intensionis. Hoc enim solum probat, quod de facto semper gratia habet limitatum gradum intensionis, ita quod nunquam sit infinita categorematicè, et in actu: non tamen probat, quod non possit syncategorematicè in infinitum crescere, quia participatio gratiæ, est participatio rei infinitæ, et sic sequitur, et regulatur penes formam, cujus participatio est, non per subjectum, in quo fit participatio. Ex parte autem formæ, quam participat, cum sit natura divina, oportet, quod infinitis modis sit participabilis secundum augmentum, et intensionem, nam secundum diversam speciem jam supponimus non dari diversas species gratiæ, quia non datur aliquod